



8
963

Amorab.

Discription

ad

Ms

T. 0.246.



RESPONSIO
NIS ALEXANDRI
ALESII D. AD DECLARATIO
NEM ARTICVLORVM LOVA
NIENSIVM SCRIPTAM
A RVARDO TAP
PERO D.

PARTICVLA SEXTA
De communionē sub
vtraq; specie.

PROPOSITA IN ORDI
nariam disputationem in inclita
Academia Lipsensium.

MENSE MARTIO.

LIPSIÆ

ANNO
M. D. LXIII.

RESPONSIO
ALEXANDRI
ALEXANDRI AD DECLARATIO-
NEM ARTICULORUM LIT-
TERARUM SCRIPTARUM
A RAVENNATA
FRANCO D.

PARTICULARI SECTA
De communionem sub
varia specie

PROPOSITA IN ORDINE
partium dissertationum in theologia
Academia Lipsiensium
MENSE MARTIO

LIPSIÆ
ANNO
M. D. LXXIII



ARTICVLVS DECIMVS QVIN- TVS.

DEclaratio Articuli decimi
quinti, in quo dicitur : Non
est Laicis ad salutem necessaria
Communio sub vtraque specie:
Iustisq; de caussis sancitum ab Ec-
clesia est, vt sub vna tantum spe-
cie panis, Sacramentum commu-
nicetur, in quo carnem & sanguis-
nem, atque ita totum Christum
sub specie vna sumunt.

I.

Putabam Ruardum hactenus se-
rio defendere Decreta Louaniensium
Theologorum e zelo quodam,
non secundum scientiam. Nunc ex
huius articuli declaratione intelligo,
eum sic ludere in religione Christiana,

A 2

Sicut

Sicut Lucianum Epicureum in doctrina de prouidentia : Et ea religione citare institutionem, & præceptum Christi, de Sacramento Corporis & Sanguinis Domini, qua Iulianus Apostata citauit dictum ipsius: Nisi quis renunciauerit omnibus, quæ possidet, non poterit esse meus discipulus. Imo qua Sathan citauit scripturam, contra Christum, ut persuaderet hæc verba: Angelis suis mandauit de te, ut custodiant te in omnibus vijs tuis, intelligenda esse, Christum recte facere, si præcipitaret se de pinnaculo templi.

II.

Simul enim affirmat sacerdotes præcepto Christi, debere communicare sub vtraque specie, & Ecclesiam posse Laicis alteram speciem subtrahere. Deinde omnes adultos teneri ad communionem iure diuino, & tamen communionem sub vtraque specie, neque ex institutione, neque ex præcepto Christi esse necessariam, sed id esse liberum unicuique iuxta constitutiones & Canones Ecclesiæ. Præterea præceptum
Christi

Christi, Hoc facite in mei memoriam,
ad solos sacerdotes pertinere. Ad hæc
in vniuersali: Bibite ex eo omnes, non
contineri Laicos, & sacerdotes nõ ce-
lebrantes, Insuper Christum, quia Sa-
cramentum instituit sub vtracq; specie,
& id faciendum præcepit nobis, quod
ipse fecerat, contra suam institutio-
nem & mandatum, sub altera tantum
specie communicasse cum illis duobus
discipulis euntibus in oppidũ Emaus.
Et ita intelligendum esse illud in Actis
Apostolorum. Erant autem perseue-
rantes vnanimiter in templo, & fran-
gentes per singulas domos panem, si-
mul sumebant cibum.

III.

Nec pudet eum eodem loco pu-
gnantia ex diametro affirmare, vide-
licet vetustissimos scriptores: Iusti-
num, Clementem, Cyprianum, et Ori-
genem solius panis, & non Calicis
mentionem facere. Item, Ambrosium,
Hieronimum & Benedictum moritu-
ros, sub altera tantum specie commu-
nicasse, & tamen manifestum esse, ex

ii. cap. prioris ad Cor. ex scriptis Dionysij, Cypriani & aliorū, communionem sub vtracq; specie traditam ab Apostolis, durasse in Ecclesia vsq; ad tempus S. Thomæ de Aquino : nec quicquam de communionem sub altera specie in Ecclesia constitutum fuisse ante Concilium Constantiense.

IIII.

Impudenter etiam affirmat, parem esse auctoritatem Episcoporum in subtrahenda altera specie sacramenti, & in constituendis ceremonijs, quæ pertinent ad *ἁγιασμόν*. Item, voluisse Christum non omnibus eodem modo sacramentum exhiberi.

V.

l. An non autem suos deridet sua- uiter? cum ait : Se dubitare, an is qui ante Concilium Constantiense valde laudatus fuerat a Synodo, propterea quod ægroto non potente deglutire hostiam, infuderit pauxillum ex Calice ne sine communionem moreretur, nunc peccaret si post prohibitionem Calicis in simili casu idem faceret.

An

VI.

An non ridet Sardonium, cum ait, in dicto Christi: Hoc facite in mei memoriam, Pronomen demonstratiuum non esse referendum ad qualitatem, & modum actionis, sed ad substantiam. Et non dixisse Dominum: Facite eodem modo quo ego facio, alioqui debere Sacramentum iam coenatis porrigi.

VII.

Et quam ridiculum est, quod ait, hæc verba: Hoc facite, non habere vim præcipiendi, sed exhortandi.

VIII.

Nunquid, vt Lucianus, ridet religionem Christianam, cum ait: Haud citra rationem factum esse, vt non, quemadmodum post verba: Accipite, comedite, hoc est corpus meum, quod pro vobis datur, mox additum est, hoc facite in mei memoriam: ita etiam post illa: Bibite ex eo omnes, hic est calix noui testamenti in meo sanguine, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum, non sit additum, Hoc facite in mei memo-

A 4 riam

riam, sed conditionaliter dictum esse,
Hæc quotiescunq; feceritis, in mei
memoriã facietis. Quod uoluerit signi-
ficare, licere Apostolis & sacerdotibus
abstinere a calice, dum more populi
non celebrantes communicarent.

IX.

Et plus quam Democriticum est,
quod sequitur, Christum non præci-
pere ullum opus, aut ullam actionem,
hoc est, neq; communionem sub vtra-
que specie, neque sub altera, sed tan-
tum commemorationem suæ passio-
nis, cum ait: Hoc facite in mei memo-
riam.

X.

Quid autem illud? quod ait, vio-
lantem Christi institutionem in altera
specie, non peccare, quod Christi in-
stitutio neminem obliget, alioquin
quemlibet teneri ad perceptionem om-
nium sacramentorum.

XI.

Quid quod ex Leuitico vult pro-
bare subtractionem alterius speciei?
Quia id quod optimum erat in victima
cedebat

cedebat in vsum sacerdotis, & nihil li-
quidorum dabatur populo.

XII.

An non suauiſ ſuorum deriſio
eſt, quod colligit communionem in
altera ſpecie neceſſariam eſſe ex poeni-
tentia ſacerdotis, ex cuius negligentia
in populi communionem effunditur ſan-
guis in terram?

XIII.

Et qualis ratio prohibitionis eſt
calicis, quod ait vinum reſeruatam a
communionem populi aceſcere?

XIIII.

An non illud Lucianicum eſt?
communicantem in triduo mortis
Chriſti, ſub pane accepit corpus ſine
ſanguine, & opus fuiſſe communionem
ſub vtraque ſpecie. Nunc vero non ita,
quia Chriſtus reſurgens, reaſſumſerit
ſanguinem, & ſub pane ſit ſanguis per
concomitantiam.

XV.

Quam effuſe deridet Concilium
Florentinum vna cum omnibus ſen-
tentiarijs, quando inquit, circumſpecte
dictum

A 5 dictum

dictum esse in definitione Synodi, Sub qualibet parte hostiæ, & vini consecrati est totus Christus, facta separatione, quod non lateret Concilium inter Doctores quosdam Catholicos controuerti, an ante separationem hostiæ, sit totus Christus sub qualibet eius parte.

XVI.

Hæc pauca ex multis ironiis, Sarcasmis, & lusibus Lucianicis Ruardi principio ascribere placuit, vt constaret lectori, quid de Sacramento & de tota religione Christiana, ipse & sui similes sentirent.

XVII.

Nunc ad illa, quæ affert ad probandum: Communionem sub vtraque specie non esse Laicis necessariam, breuiter respondebo. Sic autem argumentatur: Non est necessaria ex institutione, aut dispensatione, aut præcepto. Igitur non est necessaria: Antecedens probat. Quia tres Euangelistæ, Matthæus, Marcus & Lucas, testantur Christum cœnantibus cum eo Apostolis

stolis duodecim, in mensa instituisse
Sacramentum. Ergo manifestum est,
totam cōcionem ad Apostolos dirigi.

XVIII.

Sed eodem argumento proba-
rem, Laicis nihil opus esse communio-
ne sub altera specie, Ac ne quidem vl-
la communione vllis in Ecclesia, quia
tota Christi concio tantum pertinet
ad Apostolos.

XIX.

Non, inquit Ruardus, sed etiam
ad eorum successores sacerdotes.

XX.

Laici igitur non tenentur ad com-
munionem, quia nihil ad eos pertinet
institutio Sacramenti, nihil præcep-
tum, aut Christi concio. Vel si hæc ad
eos pertinent, ergo omnia quatuor
præcepta: Accipite, manducate: Ac-
cipite & bibite ex eo omnes, Hoc fa-
cite in mei memoriam, Hæc quoties-
cunq; feceritis, in mei memoriam fa-
cietis.

XXI.

Nec potest Ecclesia de vllis ho-
rum

rum cum Laicis dispensare, aut necesse
erit fateri, quod Ecclesia omnia hæc
præcepta simul cum Euangelio &
Decalogo poterit abrogare.

XXII.

Neque enim potest Christi præ-
ceptum, quod ad totam Ecclesiam
pertinet: Bibite ex eo omnes, sic eludi,
vt Ruardus nugatur, quod Christus
etiam in cœna dixerit: Vos omnes
scandalum patiemini in me nocte ista,
cum de Apostolis tantum loquatur,
quia adiecta circumstantia temporis,
hac nocte, restringit vniuersalem ad
præsentes, Et nihil isthic præcipitur,
vt faciant aut tradant Ecclesiæ, sed
prædicatur eorum defectio a fide.

XXIII.

In altera autem vniuersali: Bibite
ex eo omnes, datur præceptum toti
Ecclesiæ, sicut Paulus primæ Corin-
thiorum vndecimo docet, cum ait:
Ego enim accepi a Domino, quod
etiam tradidi vobis, Quoniam Domi-
nus Iesus in qua nocte tradebatur ac-
cepit panem, &c. Et post verba insti-
tutionis,

tutionis, & præcepta Christi, Hoc facite, Hæc quotiescunq; feceritis, addit suum præceptum ad totam Ecclesiam: Quotiescunque comederitis panem hunc, & poculum hoc bibetis, mortem Domini annunciabitis donec veniat.

XXIII.

Hoc præceptum vim habet obligandi omnes, non ad certum aliquod tempus solummodo, & quam diu voluerint Episcopi, sed donec Dominus veniat, id est, vsque ad iudicium extremum.

XXV.

Et singulis comminatur, qui de pane edunt, & de poculo bibunt indigne, dicens: Quisquis comederit panem hunc, aut biberit poculum Domini indigne, reus erit corporis & sanguinis Domini.

XXVI.

Item, docet singulos in Ecclesia, quomodo accedendum sit ad mensam Domini, cum addit; Probet autem se ipsum
ipsum

ipsum homo, & sic de pane illo edat, &
de calice bibat.

XXVII.

Pertinent igitur hæc præcepta de
integro sacramēto percipiēdo ad om-
nes, & singulos in Ecclesia. Nugæ igitur
sunt, imposturæ & mendacia sunt,
quod dicunt: Verba cœnæ, institutio-
nem Sacramenti, & eius dispensatio-
nem, ac præceptum: Bibite ex eo om-
nes, ad solos sacerdotes pertinere.

XXVIII.

Et Paulus evidentissime refutat
hanc collectionem. Soli Apostoli er-
rant præsentēs, Ergo, Institutio, præ-
ceptum, & dispensatio ad solos Apo-
stolos pertinet, Verba eius sunt ma-
nifesta. Cum conuenitis in eundem lo-
cum, non licet Dominicam cœnam
manducare, Vnusquisq; enim præoc-
cupat in edendo propriam cœnam, &
hic quidem esurit, alius vero ebrius est:
Nunquid domos habetis ad edendum
& bibendum? Quid vobis dicam? lau-
dem vos? in hoc non laudo. Ego enim
accepi a Domino, &c. Et post institu-
tionem

tionem & manifesta præcepta ad totam Ecclesiam in fine addit: Igitur cum conuenitis ad comedendum cœnam Domini, alius alium expectabit.

XXIX.

Quod Ruardus citat Augustinum ex epistola ad Casulanum, Dominum permisisse Apostolis, vt constituerent de ordine sumendi Sacramentum, puto eum memoria lapsus esse, quia nihil huiusmodi in illa epistola habetur, sed tantum de ieiunio diei Sabbathi.

XXX.

Sed pono, quod tale isthic, aut alio loco diceret, qualis esset consequentia? Augustinus affirmat Dominum permisisse, vt Apostoli constituerent de ordine sumendi Sacramentum cœnatis, vel ieiunis. Igitur permisit ihs, vt Sacramentum sub altera tantum specie distribuerent.

XXXI.

Item Ceremoniæ, quæ pertinent ad ἑταξίαν possunt mutari ab Ecclesia pro varietate temporum, personarum
& lo

& locorum. Igitur ipsa institutio Sa-
cramenti, et quæ ad eius essentiam per-
tinent, & manifesta præcepta Christi
& Pauli, ad omnes & singulos in Ec-
clesia, possunt ab Ecclesia mutari.

XXXII.

Ideo argumentum sic inuerto:
Apostolus præcipit, vt alter alterum
expectet, & ne ebrij accedant, vel vt
sobrii communicent, & non iussit sub
altera specie communicare, sed clare
præcipit de vtraq; specie sumenda ab
omnibus, cum inquit: Probet autem
seipsum homo, & sic de pane illo edat,
& de calice bibat. Ergo non licet sub-
trahere alteram speciem Sacramenti,
aut de constituto ordine a Christo &
Apostolis quicquam mutare.

XXXIII.

Quam firma autem sit collectio,
Apostolus ait: Cætera cum venero di-
sponam. Igitur statuendum est, eum
aliquid horum, quæ ante præcepit, &
quæ a Domino accepisse se affirmat,
vt traderet Ecclesiæ mutandi potesta-
tem habuisse, facile est iudicare.

Sic

XXVIII.

Sic igitur colligendum erat. Apostolus ait: Cætera cum venero disponam. Igitur de his, de quibus ante præcepit, & quæ se accepisse ait a Domino, vt traderet Ecclesiæ, & quæ ante disposuit, nihil ne quidem in Ceremoniis mutauit, aut alijs mutandum permisit. Sed inuiolabiliter voluit ab omnibus obseruari, iuxta illud in eodem capite: Si quis videtur contentiosus esse, nos huiusmodi consuetudinem non habemus, neq; Ecclesia Dei.

XXXV.

Eodem acumine colligit ex dicto Augustini lib. 3. de consensu Euangelistarum. Proinde quippe mentis eorum adhuc ignorantis, quod oportebat Christum mori & resurgere, simile aliquid eorum oculi passi sunt, non veritate non valente, sed ipsis veritatem percipere non valentibus, et aliud quam res est opinantibus, ne quisquam se Christum agnouisse arbitretur, si eius corporis particeps non est, id est, Ecclesiæ, cuius veritatem com-

B

men-

mendat Apostolus in Sacramento panis, dicens: Vnus panis & vnum corpus multi sumus, vt cum eis benedictum panem porrigeret, aperirentur eorum oculi & agnoscerent eum.

XXXVI.

Quid hæc ad Cœnam Domini pertinent, nisi dicamus Christum semper suum corpus porrexisse omnibus, quibus benedictum panem distribuit? Quod si verum est, igitur quatuor illis millibus, quos de quinque panibus saturauit, porrexit corpus suum. Nam Euangelistæ clare dicunt, quod assumeret panes in manus, suspexerit in cœlum, benedixerit, fregerit, & dederit discipulis distribuendos, Et de illis etiam dicere possumus, quod cognouerunt Christum in fractione panis, quia clare confitentur, hunc esse Prophetam, qui esset venturus in mundum.

XXXVII.

Sed Augustinus, & omnes interpretes reclamant. Quandoquidem affirmant, duos illos cognouisse Christum in fractione panis ex eo, quod
panes

panes sic frangere soleret sine ferro,
vt viderentur ferro dissecti, & hoc ob-
seruasse eos cum fractum panem eis
porrigeret, & in illo eos agnouisse
Christum.

XXXVIII.

Quis nisi incogitans, diceret? Por-
rexisse Christum duobus Sacramen-
tum, priusquam eum agnouissent, &
quomodo porrexisset Sacramentum,
nisi recitasset verba Cœnæ: Accipite,
Hoc est corpus meum. Quod si ve-
rum esset, certe agnouissent eum ex
verbis Christum esse, & non tantum
ex fractione panis, quæ κατὰ συνέκδο-
χην totam illam actionem, & per con-
sequens calicem quoque compre-
hendet.

XXXIX.

Notum est enim fractionem pa-
nis vel manducationē Ebraica phrasi,
significare prandium vel cœnam, &
ea figura vtī Euangelistas Luce 14.
Factum est autem, cum intrasset in
domum cuiusdam Principis Phari-
sæorum

B 2

sæorum

ſæorum Sabbatho manducare panem, & ipſi obſeruabant eum.

XL.

Quare, etiamſi affirmaretur, illud in Actis Apoſtolorum cap. 2. Erant autem perfeuerantes in doctrina Apoſtolorum, & communicatione & fractione panis, De cœna Domini accipiendum eſſe, tamen non ſequeretur eos ſub altera tantum ſpecie communicaffe.

XLI.

Quomodo enim contra inſtitutionem & præceptum Chriſti, de quo Paulus poſtea ſcripſit ad Corinthios, feciſſe eos credibile eſt?

XLII.

Fucum igitur facit lectori Ruardus, quod ait: Ignatium & Clemen-tem, ſolius panis mentionem facere. Nam poſtea ipſe fatetur, tempore Cypriani Laicos ſub vtraque ſpecie communicaffe, et hunc morem duraffe, uſque ad tempora S. Thomæ de Aquino, & Concilium Conſtantiense.

Nos

XLIII.

Nos igitur ex duobus vetustissimis autoribus Dionysio, & Iustino, quorum alterum discipulū fuisse Pauli, alterum autem auditorem fuisse discipuli Apostolorum constat, totam Ecclesiam sub vtracq; specie communicasse ostendemus.

XLIII.

Verba Dionysij sunt. Præcipui tamen inter Diaconos & Subdiaconos vna cum sacerdotibus, imponunt altari panem, & calicem consecrandum, omnesq; in commune Deum precantur & laudant, ipseq; venerandus Pontifex finita oratione, pacem annunciat vniuersis, Et cum omnes se placido pacis osculo consalutauerunt, sanctorum qui in Christo obdormierunt, nomina recitantur, Deinde Pontifex cum sacerdotibus manus abluunt, ipseq; Antistes ad medium altare accedens, circumstantibus sacerdotibus, & præcipuis ministris, Sacrosancta conficit mysteria, Et postquam confecta fuerint, retegit, & palam ostendit

stendit omnibus. Postea ipse primus
communicat, & reliquos omnes, vt
vna communicent cohortatur, com-
municatisq; singulis, ipse Pontifex gra-
tias agens, finem sacris mysterijs im-
ponit.

XLV.

Si Pontifex primo communicat,
vtiq; sub vtraq; specie communicat, &
cum hortatur omnes, vt vna secum
communicent, non hortatur, vt com-
municent aliter quam ipse.

XLVI.

Verba Iustini sunt: Postquam is
qui præest, gratias egit, & populus
omnis benedixit, hi qui apud nos Dia-
coni dicuntur, dant vnicuiq; horum
qui adsunt, percipiendum panem
vinum & aquam, quæ cum gratiarum
actione consecrata sunt, & ad eos qui
absunt perferunt. Atq; hic cibus apud
nos Eucharistia dicitur.

XLVII.

Quod Ruardus ait: Ambrosium
moriturum, communicasse tantum
sub specie panis, impostura est, Adde-
rem

rem multa ex Cypriano manifesta te-
stimonia , si Ruardus non fateretur,
ex scriptis eius posse probari : Quod
eo viuento datus fuerit Calix Lai-
cis.

XLVIII.

Inter alia testimonia, illud illustre
est, Sermone quinto de lapsis, vbi ait:
Puellam cui ipse calicem infudit diui-
nitus punitam, propterea quod ex ci-
bis immolatis idolis comedisset adhuc
infans, nec huius facti poenitentiam
egisset.

XLIX.

Et illud illustre est, contra con-
suetudinem de communionem sub alte-
ra specie, epist. 3. lib. 2. ad Ceciliam,
de Sacramento Dominici calicis.
Non est, inquit, frater carissime, quod
aliquis existimet, sequendam esse
quorundam consuetudinem, Quæ-
rendum est enim, quem ipsi secuti
sint, nam si in sacrificio, quod Chri-
stus est, non nisi Christus sequen-
dus est, vtique id nos facere oportet,
quod ipse fecit, & quod faciendum

B 4 esse

esse mandauit , cum ipse in Euangelio
dicat : Si feceritis quæ mando vobis,
non dicam vos seruos, sed amicos. Et
quod Christus solus debeat audiri, Pa-
ter de cœlo contestatur, dicens: Hic est
filius meus dilectissimus in quo bene
fensi, ipsum audite. Quare si solus
Christus audiendus est , non debemus
attendere, quid aliquis ante nos facien-
dum putauerit , sed quid qui ante om-
nes est Christus prior fecerit : Neque
enim hominis consuetudinem sequi o-
portet, sed Dei veritatem, qui per Esai-
am Prophetam dicit : Sine causa co-
lunt me, docentes mandata hominum.
Et Dominus in Euangelio : Reijcitis
mandatum Dei, ad statuendum tradi-
tionem vestram. Hæc Cyprianus.

L.

Nihil igitur probat consuetudo
contra manifestum Christi manda-
tum, nihil vllius factum hominis , eti-
amsi cōstaret, Hieronymum aut Am-
brosium sub vna tantum specie com-
municasse. Quod tamen probari non
potest.

Qualis

LI.

Qualis enim collectio est: Eusebius Cremonensis scribit, Hieronymum postquam accepisset corpus Domini, flexis genibus, recubuisse supinum expansis manibus, in modum crucis. Ergo non communicauit de calice? Paulinus Episcopus scribit, Ambrosium, ubi deglutiuisset hostiam, emisisse spiritum. Igitur non bibit de calice? Nam Ruardus fatetur illum a Concilio laudatum fuisse, qui parum ex Calice infudit ægroto, qui non potuit deglutire hostiam. Et Exuperium Episcopum Toletanum, laudatum a Hieronymo, qui corpus Domini in canistro vimineo, & sanguinem in vitro ad ægrotos deferre solebat.

LII.

Ideo omissis his et similibus, quæ citat ex Dialogo Gregorij de Agapero, qui Sacramento corporis Domini claudum & mutum sanauit, redeo ad confutationem eorum, quæ Ruardus argumentis nostrorum respondit.

B 5 Deo

LIII.

Decretum Synodi Constantiensis pugnat cum præcepto Christi: Bibite ex eo omnes. Hoc facite in mei memoriam. Item, cum institutione Sacramenti, & cum dispensatione, quia Christus utramque speciem distribuit. Et Cyprianus loco citato addit, Quomodo possumus pro Christo sanguinem fundere, qui sanguinem Christi erubescimus bibere? Postremo Christus manifeste ait: Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.

LIIII.

Ad hæc respondet Ruardus: Non tam impie quam ridicule, Christum non animo præcipiendi dixisse: Bibite ex eo omnes, sed animo exhortandi. Deinde hoc concessio, quod præceperit, tamen præcepta ad solos pertinere sacerdotes. Præterea pronomen demonstratiuum in præcepto, Hoc facite non debere referri ad opus ipsum sumtionis, sed ad commemorationem. Ad hæc, non dixisse Christum: Facietis ad eundem modum

modum , ad quem ego facio , sed hoc
facite. Postremo, quod institutio Sa-
cramenti non habeat vim obligandi vl-
lum, ad sui susceptionem.

L V .

Si hoc non est ludere in doctrina
Religionis, & ridicule scurrari, ac de-
ridere præceptum Christi, & institu-
tionem Sacramenti & testamētum ip-
sius irritum facere: non video quid sit.

L V I .

Paulus ait: Testamentum hominis
morte confirmatum nemo mutat , Et
Cyprianus hæc verba citat cōtra illos,
qui audēt aliquid mutare in cœna Do-
mini quam Christus vocat suum testa-
mentum.

L V I I .

Ad illud, quod ex Cypriano cita-
uimus: Si solus Christus audiendus est,
oportet nos facere quod Christus fe-
cit, & quod faciendum mādauit: Nihil
ergo mutandū est in institutione Chri-
sti, allia pro cœpis, vt dicitur, respōdit.
Ergo, inquit, debēt sacerdotes Christū
in cœna offerre: Vide, inquit, quod fa-
cere, iuxta Cyprianū significat offerre,
& non

& non manducare vel bibere, Sed
quomodo Cyprianus & alij Patres
cœnam Domini, sacrificium vocant,
vt supra dictum est, & suo loco dice-
tur copiosius.

LVIII.

Augustinus enim clare ait: Cœ-
nam Domini sic dici sacrificium & ob-
lationem, sicut dies Parasceues dicitur
passio, & sicut dies solis dicitur dies
resurrectionis, quia altero die passus
est Christus, altero resurrexit. Et illis
diebus fit memoria passionis & resur-
rectionis, sicut in cœna Domini fit
memoria passionis, sacrificij, & obla-
tionis qua Christus semetipsum ob-
tulit.

LIX.

Sed Ruardus tantum nugatur, &
suo more manifesta verba eludit pue-
rili Sophistica, vt illud Cypriani: Quo-
modo possumus pro Christo sangui-
nem fundere, qui erubescimus sangui-
nem eius bibere, sic eludit: Bibimus
sanguinem, dum manducamus pa-
nem, quia in pane est sanguis per con-
comitan-

comitantiam. Item, quod Cyprianus tantum de sacerdotibus loquatur, quasi Laici non teneantur pro Christo sanguinem fundere.

LX.

Cætera quæ adducit pro Decreto Concilij Constantiensis sunt prorsus ridicula, sumta ex Sententiarijs & deliramentis Monachorum, Periculum esse in effusione sanguinis, si exhibeatur Laicis, vinum cito acescere, & panem putrescere, quasi vero non possit caueri periculum effusionis sanguinis, si ministro tremunt manus supposita maiori patina: Et Sacramentum debeat reseruari vsq; dum acescat & putrescat.

LXI.

Quis non rideat istas collectiones? Si porrigatur Laicis vtraq; species, potest quis suspicari, non tantum esse sub vna specie, quantum sub vtraque. Igitur altera debet subtrahi. Item, Ecclesia potest arcere Sacerdotes a communione propter scelera. Ergo potest Laicis sine delicto alteram speciem

ciem subtrahere. Si enim Ecclesia ha-
bet iustas causas subtrahendi vnam
speciem Laicis, sine delicto, cur non
poterit subtrahere vtramq;? siquidem
verba Christi pertinent ad solos Sacer-
dotes iuxta Ruardum. Aut certe po-
terit panem subtrahere sacerdotibus,
sicut calicem subtraxit Laicis, quia tan-
tum continetur in calice, quantum in
pane, & contra: Et si sacerdos sumat
calicem, nihil est opus manducare ho-
stiam: Et ratio æqualitatis exiget, vt si
Ecclesia vnam speciem subtrahit Lai-
cis, aliã adimat sacerdotibus, ne Laici
possint queri de iniuria.

LXII.

Nam ipse probat ex Chrysofomo
homilia 15. super epistolam ad Roma-
nos: nullam esse differentiam populi a
sacerdote, quo ad communionem men-
sæ Dominicæ.

LXIII.

Ad manifesta verba Christi, Nisi
biberitis sanguinem filij hominis, non
habebitis vitam in vobis, nihil potest
respondere, nisi quod Lutherani etiam
discer=

discernant illam concionem, apud Io-
annem, ab institutione cœnæ Domini
cæ. Quasi vero ex illa distinctione se-
queretur, alterã speciem esse subtrahen-
dam, aut Lutherani id inde colligerẽt.

LXIII.

Sic autem argumentatur Ruar-
dus: Spiritus est qui viuificat. Caro au-
tem nihil prodest. Ergo nihil prodest
sumere sacramentum, & nihil refert
vtrum sub altera specie, aut sub vtraq;
sumas. Quid hic cogitem de Ruardo,
nescio, nisi quod veram præsentiam
corporis Christi in cœna neget, ac de-
rideat suos, qui sacramentalem man-
dicationem a spiritali discernunt.

LXV.

Fatetur etiã ui verborum: Hoc est
corpus meum, in pane tantum esse præ-
sentiam corporis non sanguinis. Sed
ait, Concilium Florentinum aliter de-
creuisse, & affirmare totum Christum
esse sub tota hostia, & sub qualibet eius
parte. Sicut Augustinus ait, de anima
hominis: Esse totam in toto corpo-
re, & totam in qualibet eius parte, Sed
hoc,

hoc, inquit, aliter se habet in Sacramen-
to, quia ante separationem partium
corporis anima est tota in toto, & to-
ta in qualibet parte, sed in Sacramento
ante diuisionem, Christus non est in
qualibet parte, sed primum post sepa-
rationem.

LXVI.

Ita videmus Ruardum ridere no-
stram religionem, & Monachos abuti
potestate Pontificis, & prætextu po-
testatis Ecclesiasticæ, & autoritates
Concilij definire, quicquid ipsis in buc-
cam venerit sine vlla ratione, & con-
tra manifestam scripturam.

LXVII.

Omisso igitur Ruardo, doctri-
nam traditam a Christo & Apostolis,
& obseruatam in Ecclesia mille tre-
centis annis breuiter ascribam.

LXVIII.

Manifesta sunt verba Christi apud
tres Euangelistas: Accipite, Mandu-
cate, Hoc est corpus meum, Bibite ex
eo omnes, Hic est calix sanguinis mei,
qui pro vobis & pro multis effunde-
tur

tur in remissionem peccatorum, Hoc facite in mei memoriam. Ad quoscunque igitur pertinet beneficium passionis Christi, ad eos pertinent hæc mandata, Quicumque igitur credunt Christum fuisse sanguinem suum pro ipsis, ut consequantur remissionem peccatorum, hi suam fidem de hac promissione confirmare debent communionem panis & calicis.

LXIX.

Omnes etiam qui se Christianos dici volunt, hac communionem testari debent, se grata mente conseruare horum beneficiorum memoriam, iuxta præceptum, Hoc facite in mei memoriam, Quotiescunque feceritis in mei memoriam facietis. Sic enim Paulus hæc præcepta exposuit, & toti Ecclesie mandauit, scribens in priori epistola, ad Corinth. ii. Quotiescunque manducabitis panem hunc, & poculum bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat. Item, probet semetipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat.

C

Hæc

LXX.

Hæc mandata Christi & Pauli, omnes in primitiua Ecclesia de communione integri sacramenti intellexerunt & interpretati sunt, vt ex Dionysij, Iustini, & Cypriani testimonijs ostendimus. Iam enim aliorum testimonia subiiciemus, ex quibus constabit, non tantum Patres, sed etiam scholasticos diligenter monuisse de vtraque specie.

LXXI.

Nam Longobardus distinct. 11. lib. 4. ad probandam communionem sub vtraque specie citat testimonium Ambrosij, super 11. cap. ad Corinth. Verba Ambrosij sunt: Testamentum ergo sanguine constitutum est, quia beneficij diuini sanguis testis est, in cuius testimonium nos calicem mysticum sanguinis, ad tuitionem corporis & animæ nostræ percipimus, quia sanguis Domini nostrum sanguinem redemit. Caro enim saluatoris pro salute corporis, & sanguis pro salute animæ effusus est. Ex his Longobardus sic argu

argumentatur: Si in altera tantum specie sumeretur, ad alterius tantum, non ad vtriusque pariter tuitionem valere significaretur.

LXXIII.

Sed ad refutandam impudentiam Ruardi, qui ait, Ecclesiam posse mutare Christi institutionem, & hac nulum obligari ad communionem integri sacramenti, ascribam integrum locum ex Ambrosio, sic enim interpretatur verba Pauli: Quicumque ederit panem hunc, aut biberit calicem Domini indigne, reus erit Corporis et sanguinis Domini. Indignum dicit esse Domino, qui aliter mysterium celebrat, quam ab eo traditum est. Non enim potest deuotus esse, qui aliter præsumit, quam datum est ab autore. Ideo præmonet, vt secundum ordinem traditum deuota mens sit accedentis ad Eucharistiam Domini, hoc enim apud se debet iudicare, quia Dominus est, cuius in ministerio sanguinem potat.

C 2 Augu

LXXIII.

Augustini testimonium etiam
Canonibus insertum est, de consecra-
tione dist. 2. c. vtrum sub figura. Nihil
inquit rationabilius, quã vt sanguinis
similitudinem sumamus, vt veritas
non desit, & ridiculum nullum fiat
Paganis infidelibus, quod cruorem
occisi hominis bibamus.

LXXV.

Et in libro Sententiarum Pro-
speri: Caro eius est, quam sub forma
panis, & sanguis eius, quem sub vini
specie ac sapore potamus. Caro igitur
carnis, & sanguis sacramentum est
sanguinis. Carne & sanguine vtroq;
inuisibili, intelligibili, & spirituali, si-
gnificatur corpus Christi visibile &
palpabile.

LXXVI.

In confessione Augustana citatur
dictum Cypriani ad Cornelium: Quo-
modo docemus aut prouocamus eos
in confessione nominis Christi sangui-
nem suum fundere, si eis militaturis
Christi sanguinem denegamus? Item,
dictum

dictum Hieronymi in expositione ter-
tij capitis Sophoniae: Sacerdotes qui
Eucharistiae seruiunt, & sanguinem
Domini populis diuidunt altare suum
polluunt. Item, dictum Ambrosij ad
Theodosium: Quomodo his manibus
suscipies sanctum Domini corpus, qua
temeritate ore tuo poculum praeciosi
cruoris percipies? Item, dictum Ge-
lasij, quod citatur in Decretis. c. Com-
perimus, in quo prohibet Pontifex di-
uidi sacramentum. Comperimus, in-
quit, quod quidam, tantum sumta
corporis portione a calice sacri cruo-
ris abstineant. Qui proculdubio,
quoniam nescio qua superstitione do-
centur astringi, aut integra sacramen-
ta percipiant, aut ab integris arcean-
tur, quia diuisio vnus eiusdemq; my-
sterij, sine grandi sacrilegio non potest
accidere.

LXXVII.

Ex his omnibus manifestum est,
eos qui affirmant: Si quis dixerit
C 3 com

communione sub vtraque specie esse
se necessariam: Et Pontificem non ha-
buisse iustas causas, subtrahendi al-
teram speciem sacramenti Laicis,
anathema esse, esse ipsos
anathema maran-
atha.


F I N I S.

ἔρρετε λαβητῆρες ἀτάοθαλοι ἐργολάοι ἄν-
δρες,

οἷς ψῆδος εἰπεῖν ἐσίγη ἀληθὲς ἴσον.
πάντη ὀφθαλμοφανῆ νῦν ἐοῦσ', ὅσ' ἔθηκεν
ἀμαυρὰ

πᾶλυπλανῆς προτέρης κερδοσιῶν διδα-
χῆς.

ἔδ' ἢδ' ἐς αὐτὸς διαθήκη, χριστὸς ἰησοῦς,
χεῖρ ὑπὲρ ὧν λογίων ἔξει ἐπ' ἀτρικίης



AB 101963 (1)

ULB Halle


3

003 924 378



171 → 172





PONSIO
LEXANDRI

AD DECLARATIO
TICVLORVM LOVA
SIVM SCRIPTAM
RVARDO TAP
PERO D.

ICVLA SEXTA
ommunione sub
traq; specie.

SITA IN ORDIN
disputationem in inclita
ademia Lipsensium.

ENSE MARTIO.

LIP SIAE

ANNO
M. D. LXIII.